

ra definitionis est rei essentiam explicare, & quidditatem, vt dixi in logica cum de definitione in summulis; vnde mihi restat alia definitione causæ physicæ creatæ essentiam definire, ne illam cum cæteris indefinitam relinquam. dixi essentiam causæ creatæ, quia de increata non loquor, quando ipsa sit infinita simpliciter, & vndequeaque definiri non potest, nec eius essentia explicari a nobis, sed tantum enigmaticè, sicut a nobis enigmaticè cognoscitur, vt inquit Divus Paulus cognoscimus nunc per speculum in enigmate, & tali modo non principijs naturæ tantum, sed gratia ipsius, ut potè per fidem. quare

2 Aduertendum est primo, quod ut fides docet, & pluribus in locis dixi, tum in logicalibus questionibus, tum hic cum de principijs q. 2. sect. i. n. 1. Pater æternus est principium Filii, in illum influens producendo personalitatem, & Verbum dicitur hac ratione productum a Patre, & nihilominus omnes PP. Latinhi dicunt Patrem æternum non esse causam Filii, sicut de facto non est, quoniam causa dicit essentialiter dependentiam effectus ab illa, ut loco citato dico. Ne ergo in errorem Græcotum incidamus, alia definitio causæ invenienda est, vt possit patere veritas Ecclesiæ nostræ Latinæ, quod æternus Pater videlicet non sit causa Filii æterni, sicut nec Pater, & Filius non sunt causa Spiritus Sancti, & si istius principium sint ambo, quomodo Pater æternus respectu Filii sui principium verum est.

3 Notandum est secundo circa Conimbricensium allatam definitionem, n. 1. in primo loco, videlicet quod causa est id, a quo aliquid per se dependet, quod per illam particulam, per se, excluduntur causæ conditionales, sine quibus nullo modo effectus esse potest, v. g. calor respectu ignis, sine quo ignis esse nequit productus, quando effectus, ut ipsi Conimbricenses dicunt, non dependet per se a conditionibus, sed per accidens, quod est fallum, quando ly per se, non cadit supra principium, siue causam, sed supra causatum; vnde sic contra eos discurro.

4 Modus unionis, siue vnio, per suam entitatem est identificatus cum extremis, vt dico supra, q. 4. sect. vna, subsect. 1. n. 4. & vno talis indistincta a partibus repugnat quod sit sine ipsis partibus, & nihilominus partes non causant illam; ergo definitio Conimbricensium non benè explicat causæ creatæ essentiam, atque adeo ex parte relinquenda.

5 Noto 3. circa definitionem Petrerij, & Ruvij, videlicet quod causa sit illa, quæ primò & per se concurrit ad substantiam